

DE PARENTIBVS NATI

Saturnus in decima retrogradus in Geminis, coniunctus Marti, matrem nati, ex ruina morituram significat. Expertum est, matrem ex ruina mortuam cum tribus parvulis filijs, quia fuit prope oppositum Saturni & Mercurij.

Saturnus patris significator, si fuerit in Leone, meliorationem status, & ipsius prosperitatem significat.

Saturnus ascendens post Lunam, damnat matris uirtutem.

Saturni radius si prius peruererit ad partem patris quam matris, pater prius interibit. Si ad partem matris, mater prior obibit mortem. Similiter præmorietur illi alter parentum, cuius pars fuerit sub terra.

Si Saturnus in quarta, in domo uel exaltatione Iouis reperiatur, separabit se natus a parentibus.

Saturnus infortunans Solem, mortem patri ex febre, melancholia, uel ex malis nocivis humoribus adfert. Si uero Mars Solem infortunauerit, morietur pater morte subitanea. Sed natus erit morbosus in oculis.

Saturnus in medio coeli in nocturna genitura, uel in loco partis fortunæ, uel in aliquo bono loco, significat patrem nati fortunatum & diuitem.

Saturnus in termino & aspectu bono Solis, parentes nati inuenient bonum & proficient.

Saturnus & Mars post Solem eunt, uel aspicientes eum quadrato uel opposto, pater nati habebit ægritudines chronicas & fortes.

Infortunæ ambæ si aspexerint locum coniunctionis uel oppositionis, & ipsum fortunæ non aspexerint significat malam mortem parentibus. Et quando erit aspectus coniunctionis, significat mortem patris. Si præventionis, mortem matris.

Saturnus & Mars in quarta uel ipsam aspicientes, significant mortem patris ab apostemate.

Si Sol in undecima solus collocetur, parentes habebunt magnam fortunam, ipse autem habebit nomen magnū in terris longinquis, & erit foelix in operib. suis.

Vnus malorum in domo Solis in diurna uel nocturna natuitate, damnabit patrem in oculis, uel in quantitate uitæ. Expertum est.

Si Iupiter aut Saturnus in quarta, & sol in eorum quadrato extiterit, dic nati patrem seruum fuisse. Idem erit, si Venus in quarta fuerit, & Sol & Mars in tertia.

Mars ascendens post solem, damnat uirtutem patris & male mortis facit indicium.

Si Mars supra patris significatorem eleuatus fuerit, uel quod significatorem sequatur, pronuncia paucitatem uitæ parentum.

Si Mars ex diametro Venerem aspexerit in occidente locatam, id est occidetalem, erit matris mors per febres, aut uisus debilitatem.

Mars in die, & Saturnus in nocte, si luminaria aspexerint ex signis eorum naturæ contrarijs, sine beneuolarum stellarum aspectu, parentes filium abhorrebunt. Si Solem, pater. Si Lunam, mater.

Mars in tertia, sexta, octaua, aut duodecima cum Saturni aspectu, patri male mortis notat exitum.

Si Mars aspicit Solem & Mercurium inimicem, timeat pater, ne fulmine moriat. Eodem modo iudica de matre per significatores eius.

Mars in angulo aspiciens maligne Venerem aut Lunam, aut ambos, malam fortunam, & breuem uitam matri minatur.

Si Mars in domo Solis fuerit, mors subita patris significatur, & si fuerit de nocte, uiuet parum.

Mars in domo Lunæ, mors matris.

Si Mars aspicit Solem de Ascendente in diurna genitura, non aspicientibus fortunis Solem, mala morte parentes peribunt.

Venus in octaua in TAURO uel LIBRA, & Mars cum Luna in occasu in suis finibus uel domicilio, matrem nati gladio perimit.

Si Ves-